de periculo · siue quia supra dixerat · ueni et non erat homo · uocaui et non erat qui audiret ·
illud possumus dicere · sed quia tantorum signorum patrator est · ut caelum terrasque et ma
ria suo faciat seruire nutui · et tamen ipse de cruce euadere potuerit · dicens in euangelio · an putatis
quia non possim rogare patrem meum · ut exhibeat mihi modo plusquam duodecim
milia legiones angelorum. Iuxta anagogen · ad increpationem domini desertum facit mare
Quando omnis huius saeculi amaritudo siccatur · et flumina desolantur. De quibus spiri
talis draco dicebat · In aegypto meae sunt flumina · et ego feci ea. De quibus in alio loco
legimus · quid tibi est · et uiae aegyptiorum ut bibas aquas fluminum · Pisces quoque
sagena missa in mare computrescent · qui a bonis piscibus fuerint separati · Quodque
sequitur · Induam caelum tenebris · et quasi cilicium erit operimentum eius · uel omne
quod supra nos est intellegamus caelum · sicut uolatilia quae in aere sunt appellantur
caelestia · et aduersariae potestates dicuntur esse caelestes · quae inter caelum terramque discur
runt · uel certe induitur caelum tenebris · quando obtexitur nubibus · Iuxta illud
quod scriptum est · Qui operit caelum nubibus et dat terrae pluuiam · Et in comminatione
siccitatis loquitur dominus · ponam caelum aereum · et terram ferream · non quod elemen
torum natura mutetur · sed quod per aes et ferrum poenarum magnitudo monstrata sit.
Aiunt philosophi · non amplius decem stadiis a terra nubes in sublime sustolli · et solis splendorem
abscondere · Ergo non caelum sacco obuoluitur · sed intercluso caeli lumine · aer qui
subter est nobis tenebris obscuratur, possumus caelos obuolutos tenebris · et sacco
coopertos · sic interpretari ut dicamus omnes esse sub peccato · et sanctos quoque indigere
misericordia dei.

(margin: quod)

## FINIT LIBER · XIII · INCIP(IT) · LIBER · XIIII · IN ISAIAM PROPHETAM COMMENTARIORUM ·

DNS QUI RESPICIT TERRAM · ET FACIT EAM TREMERE · QUI TAN
git montes et fumigabunt. Qui loquitur in deuteronomii cantico · Ego occidam
et ego uiuificabo · percutiam · et ego sanabo · frequentibus morbis meam quoque terram
facit contremescere · cui dictum est · terra es · et in terram ibis · et oblitum condi
tionis humanae · crebro admonet · ut hominem et senem · et iam iamque moriturum
esse me nouerim · de quo scribitur · Quid gloriatur terra et cinis · Unde quia su
bita me languore percusserat · incredibili uelocitate sanauit · ut terreret · potius
quam affligeret · et emendaret magis quam uerberaret; Itaque sciens cuius sit omne
quod uiuo · et quod idcirco forsitan mea dormitatio differatur · ut coeptum in pro
phetas opus expleam · totum me huic trado studio · et quasi in quodam speculo
constitutus · mundi huius turbines atque naufragia · non absque gemitu et dolore
contemplor · nequaquam praesentia cogitans · sed futura · nec hominum famam
atque rumusculos · sed dei iudicium pertimescens · Tu quoque uirgo christi eustochium
quae aegrotantem tuis orationibus adiuuasti · Sanato quoque impetrare gratiam christi ·

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc455/0386